



1736.

1. Syrer, Georgius Henricus: De jure communionum
episcoporum Romanorum
2. Gebauerus, Georgius Christianus, Pallijii Lectorum Senior:
panegyrici inauguralis (Georgii Henrici Syri) indi-
catus et
3. Gebauerus, Georgius Christianus: Orationes duas alteras:
de laudibus avocatorum, altera: De legitima honoris
et virtutis connubio: -- quando viris dubibus.
summo in utraque jure honores conferebat. (Joan-
nus Amatus Hamerius et Georgius Henrico Syrius).
4. Gebauerus, Georgius Christianus, Ord. jussi Proteccanus:
-- et lectio nem et disputationem inauguralim...
Georgii Christiani Wolfii iuris stat.
5. Hollmanni, Samuel Christianus: De definientis justis
scientiarum photostrophicarum linisibus.

6. Koclerus, Da. Tard : N*e* inventoriis incisuras, 11

7. Reinhartius, Tobias Tac. : De nonnullis pragmati*corum*
errobus circa doctrinam de lacta hypotheca

8. Reinhartius, Tobias Tacubus : De querelas nullitatis
et i*sup*ercissi testamenti differentiis et us*n* carundae*m*
practicis

9. Sonckenberg, Henricus Christianus : B*o*guntio academic*o*;
De successione filiarum in regis et principatibus; quam
cum erit Habsburgus . . . De successione austriaca . . .
et id est et postfamen : De renuntiationibus et pactis
reservati*vis* ad*dict* . . .

10. Sonckenberg, Henricus Christianus : B*o*guntio juri*dict*ica
que primas lineas condon*ationis* pro i*ndividuo* sive
generibus . . . ducere et defendere aggreditur . . .

11. Seneckenberg, Henricus Christianus: De testamentis
publicis origine et solemnitatibus extrinsecis secundum
ius Romanum ac patrum.

12. Wolfius, Georgius Christianus: To sacris ordinibus -
equestribus communique iuribus.

Wurde in einem Buch vermerkt
dass es ein sehr schönes
und sehr interessantes
Buch ist und dass es
sehr wertvoll ist.

Just

ORDINIS IVRIDICI
PRODECANVS
GEORGIVS CHRISTIANVS
G E B A V E R V S

1736, 2
2/
POTENTISSIMI M. BRITANNIAE REGIS
DVCIS ELECTORIS BRVNSVICO-LVNEB.
AB AVLAE CONSILIIS ANTECESS. IVRIS PRIMAR.
COLLEGII ICTORVM SENIOR.

PANEYRIN IN AVGVRalem
IN GEORGIA AVGVSTA
INDICIT.



GOTTINGAE
APVD ABRAM. VANDENHOECK, ACADEMIAE TYPOGR.

ORDINIS IURIDICI
PROLEGOMENA
GEORGIAE CHRISTIANAE
CEREBRARUM
TOTIUSQUE M. FRATERNALIS REGENS
DUX IMPERATORIS FRANCISCO-LANES
AD ALIA CONSTITUTA ANTICIPATA
CORTELLI COTRADI SENIOR
LVNEGRIN INVAGARIELM
IN GEORGIA MAGISTER
INDICIT



COTRADI
LUDVICO
FRANCISCA
AD ALIA CONSTITUTA ANTICIPATA

Quoties C. CORNELII TACITI *de situ, moribus & populis Germaniae libellum* lego, saepe autem hoc facio, quod me a teneris vnguiculis rerum patriarcharum amor ingens infedit, diuinae bonitati conceptis verbis gratias agere soleo, cuius omnino peculiari prouidentia contigisse iudico, vt ex magno illo literarum naufragio, in quo tot excellentia paeclarissimorum ingeniorum monumenta perierunt, in quo PLINII maioris xx. Bellorum Germanicorum Volumina, luculentum procul dubio opus, occiderunt [a] ex quo CORNELII nostri labores praecipui, Annalium & Historiarum libri, non nisi mutilati euaserunt, scriptum hoc breue, sed omni cura, multo candore, magna veritatis specie concinnatum, sit superstes. Amor libri, quem puer in manus sumsi, adolescens triui, vir factus, notis locupletissimis instruxi, aetate hac prouectiore identidem teneo, senex etiam factus, si fata sruerint, non dimittam, multum increuit, postquam vtriusque Iurisprudentiae, patriae & peregrinae, studiosus, deprehendi, eius lectionem homini Germano esse iucundam, ICto vero etiam vtilem atque necessariam. Quare fit, vt non facile in paelectionibus publicis & privatis elabi patiar occasionem, quin meos in hoc aetatis flore a bonarum literarum studiis recentes ad huius maxime Auctoris lectionem incitem atque im-

A 2 pellam,

(a) PLINIUS minor L. III. Ep. 5. n. 4. SYETONIUS in vita.

pellam, si nempe vltimas iuris nostri Germanici origines nosse est animus, eo gratiore nobis, quod nec illa longissima tot seculorum intercapedo, nec fortissimus legum alienigenarum impetus vetustissimorum iurium vestigia inducere ac prorsus delere valuerit. Ut autem hoc ipsum bonis ingenijis eo certius rectiusque persuadeam, apud animum meum constitui, donec notas, quas me consecisse dixi, integras in publicum proferre licebit, nonnulla iuris patrii vetustissimi loca, quotiens commoda feret occasio, ex TACITO decerpere, & liberiore, quam in notis fieri solet, stylo studiosis iuuenibus commendare, huiusque rei nunc initium facere, selecta de Matrimonio doctrina, iuuentuti non tantum legum, verum etiam, inter cetera post perfectum legitimum opus exspectanda praemia, iucundissimorum hymenaeorum cupidae, ut spero, iucundissima. Est autem illud caput, in reliquorum ordine octauum & decimum, tale:

*Quamquam seuera illic matrimonia, nec ullam
morum partem magis laudaueris. Nam prope
soli barbarorum singulis vxoribus contenti sunt,
exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed
ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Do-
tem non vxor marito, sed vxori maritus offert.
Intersunt parentes & propinqui, ac munera pro-
bant: munera non ad delicias muliebres quaesi-
ta,*

ta, nec quibus noua nuptia comatur; sed boves & frenatum equum & scutum cum framea gladioque. In haec munera vxor accipitur. Atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. Hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic vivendum, sic pereundum. Accipere se, quae liberis iniuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.

Dudum a clarissimis viris obseruatum est, TACITVM Quiritibus suis Germanorum mores traditum, perpetua fere horum cum Romanorum legibus & consuetudinibus comparatione esse usum, ut summa institutorum utriusque gentis dissimilitudo liquido appareat, vel ex hac ratione, quod nihil magis naturale sit, quam ad ea in peregrina gente animalium maxime aduertere, in quibus a nostra dissidet, vel, quod in illo seuero sui seculi sane corruptissimi Censore magis placet, ut saepe numero occasionem nanciscatur commonefaciendi suos, quam procul a castissimis, non maiorum suorum, sed gen-

tium etiam barbararum moribus absint. In hunc modum etiam caput nostrum orditur, cuius initium, ut rectius intelligatur, postrema praecedentis verba repetenda. De vestibus Germanorum dixerat, pergit de feminis: *Nec alius feminis, quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestis superioris in manicas non extendunt, NVDAE BRACHIA ET LACERTOS, SED ET PROXIMA PARS PECTORIS PATET.* Feminas Germanorum, etiam Principes (neque enim distinguit;) nudas brachia ac lacertos, patente etiam pectoris parte describit, simul, quantum a Quiritium stolatis matribus familias in ipso vestitu absfuerint, indicat. Multa sunt de matronarum Romanarum cultu, ad omnem seueritatem composito, apud Veteres loca: vtar illo HORATII [a]:

*Matronae, praeter faciem, nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa ueste tegentis.
Si interdicta petes vallo circumdata (nam te
Hoc facit insanum) multae tibi tum officent res,
Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
Ad talos stola demissa, & circumdata palla
Plurima, quae innideant pure apparere tibirem.*

Qualia autem Romae in illa vestium seueritate erant

[a] Sermon I. 2. v. 94.

matrimonia? Iam dixit noster FLACCUS, vallum Cerinthus facere insanos; sed & idem paulo [a] post de matronas fectantibus, quam illi fuerint soliti vereri,

*ne vir rure recurrat,
Janua frangatur, canis latret, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet: ne pallida lecto
Desiliat mulier; miseram se conscientia clamet,
Cruribus haec metuat, doti haec deprensa.*

In Germania nuda seminarum brachia & lacerti, mens nupta. Pars pectoris patebat, neutiquam pudore septus talamus. Vestes matronarum laxae, adstricta & seuera matrimonia. *Nec ullam morum partem magis laudaueris, maxime cum hi plus ibi valuerint, quam alibi bonae leges [b].* Romam & Romanas leges non dixit noster, in mente habuisse, maxime illas de Adulteriis Julias, quis negarit? Fuisse autem hanc laudem inter Germanos diuturnam, praeclarissimis SALVIANI MASSILIENSIS testimoniis firmare licet. Ita enim ille de Gubernatione Dei Lib. VII [c]. *Esse inter GOTHOS non licet Scortatorem Gothum, soli inter eos praeiudicio nationis ac nominis permittuntur impuri esse Romani ---- Quid? Hispanias nonne vel eadem vel maiora vicia perdidérant --- Sed*

ac-

[a] v. 127.

[b] TACIT. c. 19. f.

[c] p. m. 137.

accessit hoc ad manifestandam illic impudicitiae damnationem, ut WANDALIS potissimum, id est pudicis barbaris, traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captiuitate ostendere Deus voluit, quantum & odiasset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cum & Wandalos ob solam maxime pudicitiam superponeret, & Hispanos ob solam maxime impudicitiam subiungaret. Atque alio in loco [a]: Gothorum Gens perfida, sed pudica est; ---- SAXONES crudelitate efferi, sed castitate mirandi.

Laudis illius praecipua portio. Nostro videtur, quod prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti fuerint. Stultus fuit ille fastus Aegyptiorum, Graecorum, Romanorum, genus humatum in se, homuncionum manipulum, & reliquam mortalium turbam distinguentium, & illum sapientiae laude, hanc stuporis incusatione onerantium, quo magis me piget pudetque eorum inter Germanos, quos ipsos, maiores suos illo appellasse nomine, nil veritos video. Discere poterat noster a CORNELIO, aetate priore, [b] non eadem omnibus esse honesta & turpia, sed omnia maiorum institutis indicari, & semper mihi volupe fuit ingenua OVIDII e Ponto [c] confessio:

Bar-

[a] P. 148. adde si, lubet p. 154 sqq.

[b] NEPOTE in praef. Vit. Exc. Imp.

[c] L. V. Eleg. X. v. 37.

*Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli,
Et rident stolidi verba Latina Getae.*

Sed erit hac de re alius dicendi locus. Laudat hanc morum partem **TACITVS**, & merito, quamuis in illa ratione subsistat, quod in hac re maiores nostri, licet barbari fuerint, Quiritium tamen instituta sint secuti. A nobis altius repetenda est laudatissimi moris origo, & agnoscendum Noachici vel Iapheticci praecepti vestigium, extincta forte & auctoris & legis memoria, per mores a maioribus traditos nepotibus, sanctissime seruatum. *Prope soli barbarorum*, inquit noster, ergo & aliae quaedam gentes idem seruarunt. Aegyptios eundem tenuisse morem, & Gallos Hispanosque, Germanorum consanguineos, posse per coniecturam adiici, monet optimus **CLVVERIVS [a]**. *Excipiebantur admodum pauci, qui non libidine* (ne nempe, Regum & Principum mores, alias & in gente maxime Romana perditissimos, simili vitio inter maiores nostros laborasse, credas,) *sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiebantur*. Ariouisti, Marcomannorum regis, exemplum non effugit **CLVVERII** diligentiam. Tali mente fuisse videtur illa Basina, Thuringiae Regina, quae, *relieto viro suo, ad Chiladericum venit*. *Qui cum sollicite interrogaret, qua de causa ad eum de tanta regione venisset*, teste **GREGORIO**

B

TV

[a] L. I. Germ. Antiqu. c. 20, p. 179.

TVRONENSI, antiquissimo Historiae Francorum [a] Auctore, respondisse fertur: *Nouî, inquit, utilitatem tuam, quod sis valde strenuus: ideoque veni, ut habitem tecum. nam noueris, si in transmarinis partibus aliquem cognovissim utilem te, expetissim utique cohabitationem eius.* At ille gaudens eam sibi in coniugio copulauit. Sed & Thalestris, Amazonum Regina, antiquissimi sanguinis Germanici femina [b], idem firmare videtur, quae, ut CVRTIUS [c] narrat, cupidine visendi Alexандri accensa, regni sui finibus excessit: facta adeundi regem potestate, haud dubitauit fate ri, ad communicandos cum rege liberos se venisse, dignam, ex qua ipse regni generaret heredes: nec tulisse repulsam, ex eo constat, quod XIII dies in obsequium desiderii eius absunti sint. Hae maritos ambierunt ipsae; verius tamen videtur, istum ambitum in Germania non fuisse ipsarum virginum, sed sacerorum & adfinium, isti nobilitati per suarum nuptias innecti desiderantum. Clarissime illud patet ex CAESARIS [d] verbis de Ariouisto: *Duae*

fue-

[a] L. II. c. 12. Prorsus equidem adstipulor recentissimo Rerum Francorum scriptori, P. DANIELI, & iis, quae in Praefatione Historica aduersus haec ante Chlodowechum gesta nouissime dixit. Fuere tamen illae Fabulae, quas TVRONENSIS fecutus est, antiquissimae, adeoque facile aliquid prisci moris in his latuissime potest.

[b] Si credas B. GVNDLINGIO, ingeniose id adstruenti, in Gundling. P. III. N. 3. p. 273.

[c] L. VI. c. 5.

[d] L. I. de Bello Gall. c. 53.

fuerunt Ariouisti vxores, vna Sueua natione, quam domo secum adduxerat, ea nempe vna ex gentis institutis contentus; altera Norica, Regis Vocionis soror, quam in Gallia duxerat, ob nobilitatem a FRATRE MISSAM, qui isto matrimonio Triumphatori Galliae arctius copulari cupiebat. Regibus hoc tantum, atque Principibus licuisse, patere ex TACITI verbis: *admodum paucis*, vult CLVVERIVS. Patet ex TACITI verbis; sed non ex his, quae CLVVERIVS adfert, sed ex illis: *ob nobilitatem. Reges ex nobilitate sumi*, supra dixerat CORNELIVS [a], sed & hi fere vna vxore erant contenti, vt Arminii, illius haud dubii Germaniae liberatoris, exemplo constat, cuius vna vxor, Thusnelda, Segestis filia [b], tenerrime amata, digna tamen tanto matrimonio femina [c] memoratur. Ex regibus itaque illo iure regio vtebantur *ad modum pauci*, non sua libidine, sed ob delatum ab aliis honorem, magno continentiae etiam principalis argumento.

De matrimonio dixerat noster, iura subiungit, & quidem ante omnia dotium. *Dotem non uxori marito, sed uxori maritus offert*. Pauca verba, sed amplissimi sensus, quem indagare mearum erit partium. Dos COMMENTATORI veteri in Horarium,

[a] C. 7.

[b] STRABO L. VII.

[c] TACIT. L. I. Annal. c. 51.

ratium [a], est *donum nubentium puellarum*, vel, vt VARRONI placet [b], *pecunias nuptiarum causa data*, vel, vt Nostri fere definiunt, id, quod ab vxore, vel alio eius nomine marito pro sustinendis matrimonii oneribus datur promittiturue. *Neque enim dos sine matrimonio esse potest*, ait VLPIANVS [c], quod, vti verissimum, ita inuerso ordine non minus verum erat, neque matrimonium sine dote esse posse. Nota vox est Lesbonici in PLAVTI Trinummo [d]

*Vt inops, infamis ne sim: ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.*

Dotium itaque causa, teste POMPONIO ICto, [e] semper & ubique praecipua fuit: nam & publice intererat dotes mulieribus conseruari, cum dotas esse feminas ad subolem procreandam replendamque liberis cimitatem maxime esset necessarium. Sed & praeter spem liberorum, vinculum erat bene concordantium matrimoniorum haud leue lauta

[a] L. IV. od. 24. Conf. Dn. LEYSERVUM in Meditat. ad D. Specim. 303.

D. I.

[b] De LL. Libr. IV. p. m. 41.

[c] In L. 3. D. de iure dot.

[d] A. III. Sc. II. v. 63.

[e] L. 1. D. soluto matrimon.

dos, in magna diuortiorum licentia, maritorumque Romanorum plures, amicis repudia suadentibus, respondisse reor Antonini Marci de Faustina sua verbis: *si uxorem dimittimus, reddamus & dotem* [a]. Inde prolixissima dotum iura, & infinitae de Pactis, de Fundis, de Impensis dotalibus, quomodo soluto matrimonio dos reuertatur, de Dotis promissione, Natura dotibus praestita, Dote cauta non numerata, constante matrimonio soluta, Fideiussoribus dotum, quaestiones multis Digestorum & Codicis titulis enarratae. Haec Romani. Germani, obseruante TACITO, re apud Quirites tam necessaria, tam quotidiana carebant. *Dotem uxori marito non offert.* Scilicet non indigebat Germania, hominum feracissima, illo ad adimplendam liberis ciuitatem remedio. Aspernabatur dotales sarcinas Virgo, cui virtus & forma pro dote erant locupletissima. Sanctius apud maiores habebatur matrimonium, quam ut ipsis pecuniarum dotalium vinculis adstringi esset necesse. Ignorabantur vxores dominae, mariti obsequentissimi, viuebaturque eum in morem, quem apud Scythas & gentem consanguineam, Getas, obuium, scitissime, ut solet, describit FLACCUS [b].

*Illic matre carentibus
Prinignis mulier temperat innocens;*

Nec

[a] JVLIVS CAPITOL. in vita c. 19. L. IV. Od. 24.

Nec dotata regit virum
Coniux, nec nitido fudit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo foedere casitas.
 Sed *dotem uxori maritus offert.* Qui hoc factum sit, nunc dicendum.

Persuassimum habeo, antiquissimis nostrae gentis moribus femellas ab omni hereditate fuisse exclusas, & ut alii mecum sentiant, sequentibus rationibus effici posse, credo. Primum bonorum, quae inter Germanos quoque res fuerunt vel mobiles vel soli, natura clare monstrat, pleraque ad feminas non potuisse deferri. Agri, pro numero cultorum ab vniuersis per vices occupati [a], res publici quodammodo iuris fuisse videntur. Patris familias domum, [b] villam, casam vel quo demum cumque nomine penates eius appelles, serui & seruorum sedes penatesque, quos glebae adscripti regebant, fuisse fundos familiares, neque ex domo, genteque exiuisse, cum magna agnationis cura, nobilitatis Germanicae basis atque fundamentum, tum similis terrarum Salicarum & Allodiorum verorum & francorum conditio, in paullo recentioribus nostrae gentis legibus [c] obuia, persuadet. Sed nec ab illis separauerim

[a] TACITVS C. 26.

[b] TACITVS C. 20.

[c] LEGE SALICA Tit. LXII. d. Allod. c. 6. LEGE RIVARIORVM Tit.

pecora & armenta, nec seruum vpilionem vel bulcum nec eius penates, & ouilia stabulaque: cum, quod hae solae gratissimaeque [a] opes fuerint, quibus familia omnium minime carere potuit, tum, quod nec hodie insolens sit, haec fundi instrumenta pro fundi parte haberi. Arma, bellatorem equum, cruentam victricemque frameam, & quicquid erat rerum expeditionalium e domo, e gente feminae manu efferri non magis sruerunt maiores [b], quam illud nepotes patiorum morum tenaces, licet ab illa militari veterum vita alienissimi, patiuntur. Lini, lanaeque non nihil & quicquid ex his filiarum maxime industria [c] confectum erat, cum ornatu & supellestile feminina, res, si cum fundis, mancipiis, gregibus, armis, conferas, in magna veterum paupertate viles & spretas & fusum magis, quam lanceam, decentes cessisse filiabus, non negarim, quod

&

*tit. LVI. c. 3. LEGE SAXONVM Tit. VII. c. I. LEGE ANGLIORVM
tit. VI. c. I.*

[a] TACIT. c. 5.

[b] v. LEGEM ANGLIORVM Tit. VI. c. 5.

[c] Iucundum, fateor, mini nunquam non fuit spectaculum, quotiens feminas nobiles, vel alios fortunae laetioris, non victus queritandi causa, sed vt tempus recte collocarent, & familiae praerirent, colum fusumque tractantes, forte fortuna offendi, recordatus nempe, magno eas hoc facere exemplo. EGINHARDVS enim de vita CAROLI M. c. XIX. ita tradit: *Filias vero* (quas Carolum habuisse pulcherrimas ex eodem illo capite obseruo, ne quis, eas deformitatis causa in hoc delicatularum nostrarum metallum damnatas esse, suspicetur) *lanificio affusere, coloque ac fuso*, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Sed & Augusto Caefari fuit eadem domus disciplina. *Veste*, ait SVETONIVS c. 73. non temere alia, quam domestica, usus est, ab uxore & sorore & filia nepotibusque confecta.

& sequentium temporum mores, ANGLIORVM
maxime & WERINORVM Rhedo, illud innuant [a]:
dotem inde confici Romanam, ineptum & lancea
indignum.

Deinde successioni filiarum in bona parentum ob-
stitisse videtur perpetua illa seminarum tutela, quam
horum morum vestigio, Cura mulierum Saxonica,
longe adstrictiorem grauioremque fuisse, non dubi-
tandum. Vidi tamen ipse in cultissima Lipsia exem-
pla plura filiarum apud patrem educatarum, mox, vbi
viri potentes erant, quod essent pulcrae & opulen-
tae, maritis, in dignitate constitutis, in matrimonium
datarum, non absque dote aliqua, quam Iura pere-
grina dudum maioribus nostris persuaserunt. Hac
vtebatur maritus pro arbitrio, iure tutelae maritalis,
aut, si maius, ob dominium legum externarum ciuile,
inter haec enim, quod ad vsum fructum atti-
net, nihil interest. Post aliquot annos moriebatur
sacer locuples, maritus vxoris nomine adibat here-
ditatem pinguissimam, vtebatur fruebatur eadem pro
lubitu, vt paraphernis, nulla erat interposita de
receptitiis pactio, ne sacer quidem generi amantis-
simus in testamento quicquam in eius fraudem caue-
rat: Maritus uxorem exhibebat pro ingenii sui in-
dole, laetus laute, parcus parce, nascuntur liberi,
labitur aetas, consenescunt, prior moritur vxor, dic,
amabo,

[a] LEX ANGL. & WERIN. Tit. VI. c. 6. & Tit. VII. c. 3.

amabo, quid iuuit misellam, diuite patre esse natam eidemque se successisse. At enim vero, inquies, orbas quis nutriuit? quis viduas? Respondebo & quidem per tertium, quo meam opinionem firmare possum, argumentum.

Inspiciamus omnem seminarum nostrarum aetatem, & eisdem ab optimis moribus fuisse sat prospicuum, deprehendemus. Nascuntur virgines omnes, fiunt pleraeque vxores, nonnullae relinquuntur viudae. Virgo filia, soror, agnata, dum in capillo est, domus portio habebatur, [a] non ut mancipium, sed ut ingenua, eius sexus, cui sanctum aliquid & providum inesse iudicabant [b]. Multa etiam parentum & propinquorum cura atque sollicitudo fuit, vt iustum nubendi conditionem inueniat, nam iudicem interfuerunt matrimonio, & munera probarunt, facile a re leui ad ipsum negotii caput coniectura. Vxor facta alebatur a marito, quod & illa iure suo istud flagitare poterat, ipsa enim cum liberis domus officia exsequebatur, [c] & hic se indignum credebat, pati, vt illa, quae e patris domo in talamum suum transiisset, formam, corpus & omnia sibi permisisset, alienam opem mendicando imploraret. Illud

vero

[a] Inde est, quod in placitis Longobardicis legitur II. T. XXIV. §. 2. Si domini vel dominae filiae, nurui aut sorori in domo adhuc manenti, quae in Capillo dicitur, se immiscerent, feudo, quo se monstravit indignum, carere debet. v. LEGEM LONGOBARDICAM L. II. T. XX. c. 1. L. II. Tit. XIV. c. 20 sqq. CONSTIT. SICVL. L. III. Tit. XX. c. 2.

[b] TACIT. c. VIII.

[c] TACIT. c. XXV.

C

vero ista tempestate pro monstro fuisset, quod peior auis aetas & progenies vitiosior introduxit, nequam homines, vt cuticulam absque labore curare, famemque depellere possint, stupratarum, impudicarum, veterarum pro offa & stipe durissima imperia perpeti. Vna supererat viduitas, in qua mulier, extra domum paternam posita, marito etiam altore amissio, rebus ad vitae usum necessariis iniuria carere videbatur. Ut enim de agnatis, soluta adfinitate, minus aequis nihil dicamus, ex filiorum manu panem accipere, aliquando sat acerbum est. Neque tamen moribus antiquissimis visum fuit, ob illum viduae statum a casu pendentem & in paucis feminis obvium, discedere a grauissimis rationibus supra stabilitis, existimatumque, huic malo a sposo, qui certe in geniali toro vxorem, forte & sua morte viduam efficiet, medicinam esse faciendam, certis nempe rebus, fundis, mancipiis, armentis pecudibusque initio matrimonii oblatis, quibus vxor post mariti mortem vtatur, fruatur. Et haec est mea sententia illa *dos, quam vxori maritus offert.* *Offert* inquam, non vt nonnulli volunt, *affert.* Femina ducitur domum, & quicquid habet, affert. Maritus offert, id est in casum futurum incertum pollicetur atque promittit. Nec priora mouent: *dotem non vxori marito offert: offerre enim est tam illius, qui rem habet praesentem, vt vxor Romana suam dotem, quam eius, qui conditione vtitur, vt maritus in dote Germanica.*
VXXI
Multum

Multum ab his moribus successu temporis est degeneratum. Feminae ad pecunias & mancipia, [a] ad Bona soli ex acquaestu vel comparato, ad Allodia vera, praepostero parentum amore adminiculante, [b] ad hastam denique feudalem & fundos militares cupidas admouerunt manus, & ex alumnis rerum dominae diuites atque opulentiae euaserunt, quo facto etiam peregrinae legis iumento dotium iura aduecta sunt, maritis rem sibi proficiam non adspennantibus, speratis aduersus futurorum coniugum duras tenacesque mores nouo receptitiorum commento tempestiue sibi prospicientibus, paucis ex tutelae maritalis fiducia, veterem vſufructum legitimum in paraphernis, cuius naturae olim bona erant mulierum omnia, feruantibus. Retinuit tamen ius patriae vetus sui vestigium in feminis pauperculis, quales non tantum illas habeo, quae fortunam expertae noueram, virtute tamen vel forma dotatae, maritis opulentioribus veteri more nubunt, sed & istas, quae, postquam vitam virgineam suo reditu tolerarunt, vbi vident, se in domo mariti & opulent & splendidi, ad delicias lautitasque, ad ampliorem cultum & dignitatem vocari, prouidae metuunt, ne sibi aliquando ad pristinam parsimoniam sit redeundum. His tripli ratione prospectum est, primum, vt ipse maritus vxorem, veteri more pauperem, ex veteris iuris

ratio-

[a] LEX ANGL. & WERIN. Tit. VI. c. 1.

[b] MARCVLFVS Formular. L. II. c. 12.

C 2

ratione , pactis nuptialibus compositis dotet ; deinde ,
 si maritus id neglexerit , quod post introducta iura
 Romana hanc dotem ignorantium saepe numero fa-
 ctum existimo , vt vxor , postquam pauperem , bonis
 collatis , se ostendit , ex statutorum , istam maritorum
 negligentiam corrigentium , prouidentia , partem bono-
 rum , dotem legitimam , sibi sumat , portionem
 statutariam vulgo vocant ; sin maritus pauper , miles
 tamen , vxori aliter succurrere nequiverit , ex ipso
 feodo , placitorum feodalium , vetera & pene obso-
 leta dotum patriarchum iura sua benevolentia susti-
 nentium , auctoritate , vxor Dotem , Dotarium , Do-
 talitum accipiat . Et haec est mea de dote , quam
 vxori maritus offert , sententia , & hactenus iura ve-
 tutissima seruari opinor . Animus erat omnem illam
 de matrimonio Germanorum doctrinam vna e-
 pistola complecti , sed praeter omnem spem atque
 exspectationem longius fere prouectus sum , quam
 hoc scripturae genus patitur . Contrahenda itaque
 sunt vela , primae occasionis aurae , quae adspirabit ,
 iterum permittenda , respiciendusque , cui , dissertatio-
 nem *de Iure connubiorum apud Romanos inaugura-
 le* defensuro , praefandum fuit ,

NOBILISSIMVS DOMINVS
GEORGIVS HENRICVS AYRER
 MEINVNGA-HENNEBERGENSIS
 IVRIS CANDIDATVS DIGNISSIMVS
 De cuius natalibus omniq[ue] vitae cursu laudatissi-
 mo

mo non rectius dixero, quam Nobilissimus Candi-
datus eum ipse scripto complexus est :

Natus est Meinungae in Hennebergia die XV. Martii, anno huius seculi II. ex gente oriundus, quae Norimberga olim in honore fuit, virosque tu-
lit, de ecclesia aequa, ac vitraque Rep. tum ciuili, tum litteraria, non vno no-
mine promeritos. Patrem habuit MICHAELM AYRERVM, in aula Seren-
iss. Ducis Saxo Meinungensis, conditorem & tuppellefiliis argenteae custo-
dem, per triginta fere annos fidelissimum, pacis abhinc annis satis defun-
ctum. Matrem adhuc colit REGINAM, BENEDICTI MVSELLII, in di-
strictu Saxoniae metallifero quondam tributorum prouincialium quaeforis, filiam
natu secundam. In tenera aetate institutione priuata primis litterarum
elementis imbutus, mox in Illustre Lyceum, quod Meinungae floret, rece-
ptus, in inferioribus eius classibus multa tulit fecitque puer, sudauit & alsit.
Adolescens in superiores translocus, ex doctrina NAGELII, Conrectoris
indecessi, profecit ac demum a B. JOH. MICH. WEINRICHO, tum Inspe-
ctore ac Rectore vigilantissimo, dein Diacono aulico meritissimo, magis
magisque institui atque erudiri coepit, & sicuti ab hoc paeceptore suo, non
solum beneficio, sed amore etiam & perpetuo quadam iudicio, dilectus man-
fuetioribusque Musis adfuefactus fuit; ita eum vicissim non solum dilexit,
sed plurimum ipsi se debere, gratus intelligit eiusque memoriam nunquam non
sacram habebit. Tam feliciter hoc duce quinquennium, quod primae claf-
sis alumni exigere solebant, absolut, vt, quamvis illud per nouem fere menses
interruptum fuisset, humanioribus tamē litteris probe instructus, ad altiora
disciplinas progrederetur. Scilicet interually huic ansam praebeuerat singu-
laris erga ipsum frater vterini amor, qui tum Norimberga Viennam iter su-
sciipiens, Ayerum, inde ab adolescentia peregrinas viendī regiones cupidi-
tate flagrantem, a.o. MDCCXVII. eo secum abduxit ibique sumtibus suis su-
stentavit. Quae peregrinatio adeo ipsi profuit, vt non solum in lingua Gallica
prima poneret fundamenta, sed etiam, quae in scholis discuntur, ad usum re-
rum transferre mature doceretur, multorumque mores hominum & vrbes, ad
Danubium sitas, prouidus inspicteret. Ex hoc itinere per Bohemiam & Saxo-
niam redux patris Musas resalutauit, eoque alacriori animo, quae ipsi adhuc
reliqua erant, sub eiusdem WEINRICHI moderamine absoluit, priuato studio
adiuuantem Jo. PHIL. HVNEIRO, linguam Anglicam cum Gallica coniungens.
Tandem postquam saepius priuatim in palestra oratoria, modo Graeca, modo
Latina lingua, se exerceitafet, binis orationibus, quae per peculiaria programma-
ta, Regnum Carthaginis illustrantia & temporis bene locati testimoniū simul
perhibentia, intimatae fuerant, altera Gallico sermone de Commodis & incom-
modis pulueris pyrii, altera vernacula de Vana & inutili eorum conatu, qui
finem mundi praefagire suscepserunt, in praesentia Serenissimorum principum
Juventus publice habitis, an. MDCCXXI. Lyceo Meinungensi valedixit,
& altiore Musarum sedem, Jenam petiit, ubi a WILDVOGELIO, eo
tempore fasces tenente, ciuium numero Academicorum est adscriptus. Pri-
mo statim anno linguarum exoticarum amore captus, ductu Cl. GREIFFEN-
HAHNII iis, quas iam callebat, Italicam adiecit, &, vt rei litterariae ali-

quam notitiam sibi compararet, cuius fui, RICHARDI, collegium litterariorum in Biblioteca Acad. instructissima frequentauit. In Philosophia a Magnifico WALCHIO, itidem cuius suo honoratissimo, principia socii eius, celeberrimi BYDDEI, edocuit est, quibus deinde, praeeunte Cel. KOEHLERO, Wolffiana superstruxit. Ut ad iuris ciui scientiam, cuius primis elementis a BECKIO, PRAGEMANNO & DIETMARO, imbutus fuit, eo proniorem sibi pararet viam, in Historia iuris institutus est a Viro amplissimo, JOH. TOB. HOFFMANNO, tum Professore in Acad. Jenensi, nunc Sereniss. Duc. Saxo-Gothani a consiliis aul. & Regiminis Altenburgensis adfessore grauissimo, quem sequentibus etiam annis Pandectas explicant audire, & per totum fere ipsatum Acad. hospitem liberalem expertus est. LANGGVTI, Jus Can. Feud. & Publicum priuatum tradentis, adiudicatus fuit auditor, neque SCHROETERI & Ill. STRVII lectiones publicas neglexit. Exercitatione etiam disputationarie, quam SLEVOGTIVS publice instituerat, interfuit. Exacto vix biennio variae iam conditiones, quibus nobilium adolescentium institutionem in se suscepit, ipse fuerunt propofitae; sed quia filium studiorum Academicorum intempestivae abrumptere nolebat, illas recusare, quam accipere, satius duxit. Tandem vero, cum iam in tertium annum Jenae degisset, ac denuo munus Ephori, quasi sic in fatis esset, ipse offerretur, vitae genus adire non amplius dubitauit, quod ad hunc usque diem, summa cum voluptate, nec minus prospero successe, exercuit. Euocatus igitur anno MDCCXXIV. Onoldum, studiis & moribus Generosi adolescentis, FRID. CAROLI DE FORSTERN, vnici adhuc ex filiis, quos Perillufris Parenz, Potentiss. Regis Prussiae quandam a consiliis secretioribus, & Comitatus Geierani administrator, reliquerat, praefectus est, & per tres annos in Optimae pieque defunctae Matris domo liberaliter habitus vixit, demitis tribus mensibus, quos Ottingae cum illo consumit, in auunculi eius, Perillufris atque Excellentiss. Domini SINOLDI, dicti DE SCHVZ, tum Principis Ottingensii Cancellarii spectatissimi, aedibus non minus benigne exceptus. Anno MDCCXXVII. curae sue demandatum ad praedium, quod in Thuringia possidet, comitatus partim ibi, partim Altenburgi, in coniuictu consobrini eius aetumatisissimi, per annum adhuc priuata institutione in bonis litteris eruditus, & interea quoque temporis iter Dresdam fecit. Denique an. MDCCXXVIII. Lipsienses Musas iniunxit eum primo anno Illustri fratrum MASCOVIORVM Pari instituendum tradidit, & simul cum ipso alterum in Historia & iure publ. Imperii Germ., alterum in Jure nat. & ciuili ducem sollertiaissimum naectus est. Hoc autem in Belgio Professoris publ. munus obcunte, Juris ciuili doctrinam, praecantibus viris doctissimis, SIEGELIO & SCHOENIO, est perfecutus. An. MDCCXXIX. iter Berolinum fecit, ad videnda nuptiarum solemnia, inter Sereniss. Marchionem Brandenburgo-Anspacensem & secundam Potentiss. Regis Pruss. filiam, contractarum. Relicta anno eodem, postquam in Campo Zeithaynenfi otia Martis, splendidiissimum Magni Augusti spectaculum, cum tot hominum milibus admiratus fuerat, Lipsiendum Musarum sede, FORSTERO suo, Heribolin ad juramentum fidelitatis Episcopo praefundum vocato, comes adfuit eumque in Franconia reducem mox per Sueiam in Alsatiam conduxit, & per VIII. fere menses cum ipso Argentorati commoratus est. Quo tempori-

rispacio elapso, secundo Rheno ad Batavos nauigans, celebriores vrbes ripenses perlungauit, iterque per Belgium, & foederatum, & Austriacum, prosequutus, totam fere Flandriam visit. Post ad Gallos perrexit, & Parifis IV. mensibus exactis, Angliam petiit. Inde Lutetiam Parisiorum reuifens, adhuc menses aliquot ibi transegit, & anno MDCCXXXII. per Lotharingiam in Germaniam reuersus, Lipfiam arcessitus fuit, vt Illusterrimi Comitis, LUDOVICI SIGFRIDI VICEDOMINI AB ECKSTAEDT, moribus studisque regendis praeficeretur. In quo munere nunc per quadriennium fere adeo felici succelus versatus est, vt maiores illum in dies progressus facere, laetus videret, tum in Jurisprudentia ciuili ad ducentum III. RECHENBERGII, tum publica, ecclesiastica & feudali sub auspiciis III. MASCOVI, quorum virtus & eruditioni & benevolentiae ipse quoque plurimum lubentissime acceptum refert, alteri vero innumerabilibus se obsecrum beneficis gratissimamente profitetur. Mouit quoque in primis Illustriss. Comitis in bonas litteras amor, vt superiori anno ANTONII BLACKWALLII de Praefantia Clasifcorum Authorum libellum, cui Dissertationem de Comparatione eruditio- nis antiquae & recentioris subiunxit, ex Anglico in Latinum verteret sermonem eiusque nominis consecraret. Edidit dein Epistolam propempti- cam, qua Generofisi. DOMINO A PLESSEN, sub praefidio III. MASCOVI de Foederibus commerciorum differenti, laudabilem ex Academia Lipsiensi discelium gratulatus est & simul in Cambialis Instituti usigia apud Romanos inquisivit. Nuper vero Comiti suo VICEDOMINO, in eadem Academia ex summa Ictorum cathedra de feidis Ligii maxima cum laude disputanti, adplausit Diatribe, quam de Vicedominorum formula vetere inscriptit.

Huic vitae propriae descriptioni nunc a me addendum, NOBILISSIMVM AYRERVVM in hanc venisse urbem, & post nomen Albo Georgiae Augustae insertum, cultissimis litteris a nostro ordine petiisse, vt sibi summorum in Iure honorum petendorum fiat facultas, nos facile merentissimo annuisse, ipsum constituta die, cum in Iuris vtriusque capitum explicazione, tum in omni examinis nostri tenore iam cognitas animi dotes & in primis legitimam Scientiam ita explicuisse, vt ad reliqua, non minori elegantia & soliditate praestanda, admittendum esse, vñanimes statuerimus. Proxima itaque Sabbathi die,

die, quae erit Mensis decima octaua, lectione cursoria L. XVIII. D. de Sponsalibus interpretabitur, dissertationem pereruditam de *Jure Connubiorum apud Romanos* sine Praeside defendet, eoque facto a me, nonnulla *de legitimo Virtutis & Honoris Connubio*, prius dicturo, summos in utroque Iure Honores consequetur, quam Panegyrin ut MAGNIFICVS ACADEMIAE COMMISSARIUS, ILLVSTRISSIMI COMITES, ACADEMIAE PATRES, HOSPITES, CIVES omnium ordinum aestumatissimi, maxime GENEROSISSIMI ATQUE NOBILISSIMI COMMILITONES NOSTRI, splendidiorem ornatioremque honoratissima sua praesentia facere haud grauentur, humanissime rogo. P. P. sub Ordinis Iuridici Sigillo MDCCXXXVI. d. XII. Augusti.



L.S.

Göttingen, Diss.) 1736 (1)



3

f

Sb.

Wsp

Farbkarte #13

| Inches | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
|-------------|------|------|------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|
| Centimetres | 2.54 | 5.08 | 7.62 | 10.16 | 12.70 | 15.24 | 17.78 | 20.32 | 22.86 | 25.40 | 27.94 | 30.48 | 33.02 | 35.56 | 38.10 | 40.64 | 43.18 | 45.72 | 48.26 | 50.80 |
| B.I.G. | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Black | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Blue | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Cyan | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Green | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Yellow | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Red | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Magenta | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| White | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3/Color | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |

IVRIDICI
E CANVS
CHRISTIANVS
VERVS

BRITANNIAE REGIS
IS BRVNSVICO-LVNEB.
ANTECESS. IVRIS PRIMAR.
CTORVM SENIOR

IN AVGVRALEM

A AVGUSTA
DICIT.



INGAE
ECK, ACADEMIAE TYPOGR.

1736, 2

2